

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
POTENTIA
ET ACTU,

QVAM
D. O. M. A.

PRAESIDE

Viro Clarissimo & Excellentissimo,
DN. IOANNE HORNEIO,
Græcarum literarum Prof. Ordinario, Dn.
Hospite & Præceptore suo perpetua ob-
servantia prosequendo,


IN IVLEO MAIORI

Ad diem Iunij

Publice ventilandam proponit
IOANNES CARSTENS, LVNEBURGENSIS
Autor & Respondens

os)0(so

HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad Typ.
Anno MDCC LX.



V I R O

Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo,

DN. HENRICO Langenbeck/ICTO

Celeberrimo,

Serenissimi & Celsissimi Principis ac Domini,

**DN. CHRISTIANI LVDOVICI,
DVCIS BRVNSV. AC LVNAEB.**

**Consiliario intimo ac Cancellario, Domino,
Patrono & Promotori suo ætatèm
venerando**

*Academicum hoc exercitium debita cum
observantia offert*

**IOANNES CARSTENS,
Autor.**



THESES I.

Doctrina de potentia & actu cum præclara admodum & cultori sanctissimæ Theologiæ non minus cognitu necessaria sit, quàm cætera quæ in scientiarum sub lumine rationis inventarum principe traduntur: equidem me & operæ pretium, nec rem ab instituto meo alienam facturum existimo, si in illa Entis affectione aliquantò diligentius expendenda, temporis non nihil studiiq; collocem.

II. Ut verò hæc à me dissertatio rectè instituat, ab initio statim aliquid, & breviter quidem, de affectionibus entis in genere, deinde etiam de vocis potentia æquivocatione præmittendum est.

III. Et primo quidem indubitatè illud asserendum, affectiones Entis æq; atq; principia seu causas illas virtuales, per quas affectiones de Ente demonstrantur, non reapse, sed ratione tantum à subjecto differre, & formaliter Enti vel negationem vel relationem aliquam rationis adjicere.

IV. Porro & hoc constat, affectiones Entis esse in duplici differentiâ; alias scilicet earum simplices, & alias esse disjunctas. Simples autem vocantur quæ simpliciter cum Ente convertuntur, ut Vnum, Ver-

rum, Bonum; disjunctæ quæ non convertuntur nisi binas sumas, ut Causa vel Causatum; Principium vel Principiatum, Necessarium vel contingens, Esse potentia vel actu.

V. Est itaq; disjuncta Entis affectio qua de agendum jam est, quam quidem nec potentia nec actus, sed potius Esse potentia vel actu constituit; cum non actus & potentia, sed actu vel potentia esse cum Ente reciprocetur. Quoniam verò actus & potentia in eo, quod est actu vel potentia, comprehenduntur, (etenim potentiâ esse præter negationem actus ipsam potentiam includit,) hinc adeò à Metaphysicis quid & quotuplex sit tum actus tum potentia explicandum est.

VI. Iam quod vocem potentiæ attinet ea interdum nimis latè capitur, tribuiturq; etiam iis quibus metaphoricè tantum & per similitudinem quandam competit; interdum autem nimium & plus justo ita coarctatur ut non nisi rebus naturalibus & cum motu conjunctis convenire possit.

VII. Vtrumq; fatetur Aristoteles; alterum quidem lib. IX. cap. I. ὅτι μὲν ἐν λέγειαι πολλαχῶς ἢ δυνάμεις, καὶ τὸ δυνάμεις, διώρισαι ἡμῖν ἐν ἄλλοις τέτων δὲ ὅσαι μὲν ὁμωνύμως λέγουται δυνάμεις, ἀφείδωσαν. ἓναι γὰρ ὁμοιότητι πινι λέγονται, καθάπερ ἐν γεωμετρίας. καὶ δυνατὰ καὶ αδύνατα λέγωμεν τὰ εἶναι πῶς, ἢ μὴ εἶναι. Quod igitur multipliciter potentia

Ⓞ

et posse dicatur, determinatum est à nobis in aliis. Harum
verò quaecumq; quidem æquivocè dicuntur potentia, præter-
mittantur. Quædam etenim similitudine quadam dicuntur,
ut in Geometria et possibilia ac impossibilia dicimus, eo
quod quodammodo sint aut non sint.

VIII. Et verò quoniam omne id quod citra con-
tradictionem esse aut fieri posse dicitur, δυνατὸν voca-
re consuevimus, utut aliàs potentia reali præditum
non sit, ideò quoq; vox potentia per abusum tribui-
tur iis in quibus reale agendi aut patiendi principium
nullum reperitur. Potentiam hanc impropriè sic di-
ctam, uti à realibus discernant, alio nomine Logicam
appellare, atq; in non repugnantia terminorum recen-
tiores collocare solent.

IX. Alterum porro quod nimiam vocis potentia
coarctationem attinet, verbis satis perspicuis idem
Philosophus indicat loco jamjam citato: *ὡς δὲ δυνά-
μεις, αἰτ, ἢ λέγεται μὲν μάλις κρείως, ἔ μὲν χρη-
σίμη εἰν πρὸς ὃ βεβλόμεθα νῦν. (Ἐπὶ πλέον γ' εἰν ἢ
δύναμις καὶ ἢ ἐνέργεια τῶ μόνον λεγομένων κατὰ κίνη-
σιν.)* De potentia, ea quidem quæ dicitur maximè pro-
priè, non sanè est utilis, ad quod nunc volumus. (Poten-
tia enim et actus latius patent, quam illa, quæ secundum mo-
tum dicuntur.)

X. Cæterum cum vera ac realis potentia æq;
atq; actus transcendens sit; ratio instituti exigat ut de

potentia transcendentaliter summa præcipue hic agamus. Cujus quidem natura cum haud aliunde rectius quam ex divisionibus ejus cognoscatur ad hæc expendendas statim accingimur.

XI. Primo autem ac proxime potentia in activam & passivam dispescitur. Definitionem aliquam tum activæ tum passivæ potentiæ suppeditat Aristoteles in Metaphysicis, ubi activa quidem dicitur esse *δέχνη μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο*, *Principium transmutationis in alio prout est aliud*. Passiva vero ἢ ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι *δέχνη μεταβολῆς παθητικῆς ὑπὸ ἄλλῳ, ἢ ἄλλο*, *in ipso patiente principium transmutationis passivæ ab alio prout est aliud*.

XII. Verum, cum illæ ab Aristotele traditæ potentiarum descriptiones, non omnes potentias reales sub se comprehendant, (neq; enim exempli gratia potentia Dei creatrix potest dici principium transmutandi aliud prout est aliud,) propterea meritò Physicis illæ transcribendæ, aliæq; hoc in loco transcendentalis potentiæ definitiones sunt ponendæ. Rectius itaq; definitur potentia activa, si dicatur esse ea, qua aliquid aptum sit producere aliud, sive si dicatur id esse, in cuius virtute aliquid continetur & per eam effici potest. Passiva porro rectè dicitur esse unumquodq; principium patiendi, sive aptitudo aliquid recipiendi.

XIII. Priusquam hinc ad alias potentiarum divisione-

visio-

visiones progrediamur, sicco pede illud prætereundum non est, quod de objectiva & resistendi potentia hic loci quæri poterat; utrum videlicet hæ ejusdem planè cum præcedentibus, an vero generis planè sint diversi.

XIV. Verum neutra harum, nostrâ quidem sententiâ, peculiare genus constituit. Non objectiva, quia talis respectu Entis creati passiva est, respectu autem Entis increati vel passiva itidem est, vel logica quodammodo, nec realibus accensenda.

XV. Similiter nec potentia resistendi divisionem nostram reddit absurdam, cum pro diversa vocabuli resistendi acceptione, illa sub alterutro membro comprehendatur. Etenim cum activa utiq; illa concurrat, nec quidquam, excepta externa quadam denominatione, ei superaddit, si videlicet per τὸ resistere nihil aliud intelligas quam τὸ ἀντενεργεῖν, hoc est vires alterius imminuere atq; actum ejus excludere.

XVI. Quod si verò resistere ita aliquid dicatur, quemadmodum impressioni sigilli lapis aut & ferrum resistit, tunc Resistencia privationem vel negationem potentia passivæ, seu ineptitudinem potius ad actionem recipiendam, quàm potentiam denotat. Svaresio talis resistencia vocatur impossibilitas ex informatione aut dispositione subjecti dependens.

XVII. Verum cum verba Svaresij de præcedenti
quæ

quæstione non parum lucis assertioni nostræ foenerare
possint, non possumus quin ea huc transcribamus.
(Disput. XLIII. sc. I.) Duobus modis contingit, unam rem alteri resistere, primo
formaliter per immediatam repugnantiam. Secundo ra-
dicaliter, & quasi per diminutionem virtutis alterius rei.
Hoc posteriori modo resistit calor ignis aquæ frigide, præve-
niendo quantum potest actionem ejus, & vires illius dimi-
nuendo; sicut inter homines unus dicitur resistere alteri, si
anticipato vulnere abscindit manum, aut alio modo diminuit
vires illius. Hæc ergo resistantia vera non est nisi actio
quædam, solumq; differt denominatione aut habitudine:
dicitur enim actio quatenus est à principio agente, resisten-
tia vero quatenus diminuit vires alterius ne possit agere.
Atq; ita quoad hunc resistendi modum verissimum est, po-
tentiam resistendi non esse distinctam in re à potentia agen-
di: Et licet ratione, aut denominatione distingvatur, non
tamen constituit peculiare membrum in divisione potentia,
vel quia potentia resistendi non est extra latitudinem forma-
lem potentia agendi, sed aliquid ei additum, vel melius, quia
talis potentia non est per se instituta ad resistendum, sed illud
est quasi quid consequens & concomitans vim agendi. De
hoc (altero sc.) modo resistendi dicendum est, non consistere in
aliquo actu positivo sed potius in privatione actus. Vnde ta-
lis resistendi vis potius est impotentia vel incapacitas quæ-
dam, quàm propria potentia, &c.

XVIII. Cæterum & illud hic ubi de potentia in
activam & passivam divisione agitur verbo adhuc mo-
nent

nendum est; potentiam scilicet activam passivamq; licet diversæ revera sint, subjecto tamen non semper differre, cum sæpe una eademq; res potentia utraq; constet, & partim activa partim passiva sit, diverso tamen respectu. Ita intellectus passiva potentia est, respectu intellectus agentis; activa respectu intellectus: Patitur enim cum species ab intellectu agente suscipit, agit cum intellectu agentem elicit.

XIX. Divisione potentiaë qua in Activam & Passivam dispescitur, jam satis explicata, porro seorsim de ea quæ in Deo est potentia, nobis agendum est. Quemadmodum autem illud evidentissimum est, nullam potentiam passivam, propterea quod ea imperfectionem quandam importet, in Deum cadere, ita non minus & hoc manifestum est, potentiam activam omnino tribuendam esse Deo, cum is totam hanc rerum universitatem produxerit, prætereaq; activa potentia, si purè quidem talis sit, perfectionem denotet, quæ Deo utpote omnium entium perfectissimo nullatenus deneganda.

XX. Esse verò potentiam illam Dei infinitam & perfectissimam, docet nos præter creationem ipsa divina essentia. Etenim essentia Dei cum infinita sit, potentiam quoq; ejusdem infinitam esse necesse est. Vocatur autem hæc ipsa aliàs Omnipotentia, estq; objectum ejus quidquid absolutè possibile est, seu quid-

B

quid

quid contradictionem non involuit, nec imperfectio-
nem quandam importat.

XXI. Vbi primo objici & quæri illud fortè pot-
est, quomodo DEus omnia posse recte dicatur, cum
tamen multa occurrant, quæ posse eum negamus. A-
ristoteles Ethic. vi. c. 2. Agathonis illud tanquam rectif-
sime dictum citat:

Tantum DEi illud est negatum numini,

Præterita præstet nullo ut acta tempore.

Plinius adhuc multo audacius: *Imperfectæ in homine
naturæ præcipua solatia, ne DEum quidem posse omnia.
Namq; nec sibi potest mortem consciscere, si velit; quod ho-
mini dedit optimum in tantis vitæ pænis: Nec mortales æ-
ternitate donare aut revocare defunctos: Nec facere, ut
qui vixit, non vixerit: Qui honores gessit non gesserit: Nul-
lumq; habere in præterita jus præterquam oblivionis: Atq;
(ut facietis quoq; argumentis societas hæc cum DEo copule-
tur) ut bis dena viginti non sint, ac multa similiter efficere
non posse.*

XXII. Et verò quicquid sit de cæteris illis quæ
DEum posse negat, hoc sanè certissimum est & apud
cordatiores omnes in confesso, DEum nec mentiri
posse nec falli, nec duo contradictoria simul vera face-
re, nec facta infecta reddere. Nec aliud nos docent
sacræ literæ. *DEus, inquit Apostolus, fidelis est, se ipsum
negare non potest.*

XXIII. Porro & illud hic assertioni nostræ de
omni-

omnipotentia obstare videtur, quod siquidem DEus omnia facere potest, omnibus illis jam factis, potentia deinceps futura sit finita, utpote jam ita exhausta ut plura facere nequeat. Deniq; & illud non neminem turbare potest, quomodo DEus omnia posse rectè dicatur cum rem infinite perfectam, cujusmodi solus est DEus, efficere nequeat.

XXIV. Ut autem quæ objecta sunt, ritè diluantur, monendum imprimis illud est, voce *omnia* hic denotari quidquid simpliciter & absolutè possibile est, quando scilicet DEus omnia posse asseritur. Dicitur autem illud absolutè possibile quicquid ex se nullam repugnantiam aut contradictionem involuit. Quod enim contradictionem implicat, id sicuti nullam rationem entis habere potest, adeoq; nec ullo modo possibile est, ita nec ulli potentiaæ adeoq; nec divinae substernitur. Dicitur itaq; Deus ideò omnia facere posse, quia omnia quæ fieri possunt sive rationem Entis habere queunt, facere potest, potentiaq; ejus ad nullum certum Entis genus est restricta.

XXV. His jam præmissis facilis est ad primam objectionem responsio. Enimverò quæ DEum facere posse negamus, ea ita sunt comparata, ut vel contradictionem involuant vel saltem imperfectionem atq; impotentiam potius, quàm potentiam ullam impotent. Sic posse facere ut factum infectum sit, ut qui vixit non vixerit; quod præterit non præterierit; ut bis

dena viginti non sint, est simpliciter contradictoria facere. Iam vero istorum hæc natura est, ut nullatenus fieri possint, cum ne dici quidem absq; mendacio contradictoria possint, & nihil omnino dicat is, qui contradictoria loquitur. Præclare hac de re ita Augustinus contra Faustum: *Quisquis ita dicit, si Deus omnipotens est, faciat, ut, quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere: si Deus omnipotens est, faciat, ut ea, quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint, &c.*

XXVI. Porro nec mentiri nec mori Deus potest; cum etiam hæc sine contradictione DEo tribui nequeant. Etenim veritatis fontem & actum purissimum cum impuro mendacio; atq; originem omnis vitæ, cum morte posse consistere, manifesta est contradictio. Huc & illud accedit, quod vox posse hoc modo accepta valde κατὰ γένεσιν sumatur, nec potentiam, sed impotentiam potius quandam atq; imperfectiōnem denotet, cum proprie loquendo potens quis à perfectione & virtute, non imperfectiōne dicatur.

(August. de
C. D. L. V.
C. X.)

XXVII. Quapropter non minuitur potestas DEi, sunt verba Hipponensis Episcopi, cum dicitur, mori falliq; non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset utiq; potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiēdo quod non vult.

XXVIII. Quod verò cætera Plinij verba attinet, quibus DEum mortales a ternitate donare, aut defun-
ctos

Etos in vitam revocare posse negat, ea absurditatis & impietatis facile est prima Philosophia convinci possunt. Enimvero absurdum utique est, & dictu impium, DEum, qui causa est omnium, conservatorque, non posse ea, quibus essentiam quandam semel largitus est, ubi esse desierunt, revocare, aut eorum quæ adhuc sunt, existentiam perpetuo conservare.

XXIX. Ad secundam objectionem, quæ potentiam DEI propterea finitam facit, quod ille videatur exhaurire posse potentiam suam, efficiendo quodcunque possibile est, respondemus verbis hisce Svaresij: DEum posse omne possibile, dupliciter posse intelligi: uno modo divisim, seu sigillatim, signando quamcunque rem, vel etiam finitam multitudinem possibilem, & sic simpliciter esse verum absque ulla distinctione. Secundo posse intelligi collectivè (nimirum pro collectione tota omnium quæ possibilia sunt) & sic neque necessarium esse, neque verum.

XXX. Idem Autor assertionis suæ rationem subjungit verbis statim subsequenibus: Non quidem necessarium, quia ut verè dicatur DEus illa omnia posse, satis sit ut quodlibet eorum comparatum ad divinam potentiam, possit ex vi illius ita in re constitui sicut dicitur esse possibile. Non vero necesse esse ut possit quodcunque illorum facere simul cum omnibus aliis, quia in hoc posset repugnantia involui, quæ non involuitur in singulorum productione. Et ideo non solum id necessarium non esse, sed nec etiam verum.

B 3

Patet

Patet itaque DEum omnia posse & ita quidem unum-
quodque ut semper plura sine fine facere queat.

XXXI. Ultimæ objectionis solutio facilis est, si
quidem de infinitate essentiæ sermo sit. Enimverò
cum id, quod secundum essentiam suam infinitum est,
omnem essentiæ plenitudinem habeat, necesse est ut
illud ipsum quoque independens sit. At verò inde-
pendens esse & nihilominus ab alio fieri, manifestò im-
plicat.

XXXII. Antequam hinc ad potentiæ divinæ di-
visionem progrediamur, illud adhuc unicum expo-
nendum est, quomodo omnipotentia lumine naturali
cognosci possit, cum plerumque nobis non constet,
quænam contradictionem implicent nec ne. Etenim
cum accurate & distincte rei cujuscuque naturam
perspectam non habeamus neque adeo acie mentis no-
stræ illam penetrare possimus, sæpissime nobis *adivata*
esse videntur, quæ revera talia non sunt.

XXXIII. Verum hoc quicquid est difficultatis fa-
cile juxta laudatum jam tum sæpius Svarium tollitur
adhibita tantum aliqua distinctione. Etenim dupliciter
de potentia DEi loqui possumus; uno modo ita ut for-
maliter, altero ut materialiter eam cognosci dicamus.
Formaliter cognoscitur cum apprehenditur secun-
dum formalem & præcisam rationem, quatenus scili-
cet est potentia habens ex se efficaciam ad producen-
dum omne possibile, sive omne quod repugnantiam
nul-

nullam involuit. Materialiter verò, quando distinctè cognoscitur efficientia illa, quatenus ad singulos effectus qui per omnipotentiam produci possunt, applicatur. Iam priori modo omnipotentia naturaliter agnoscitur, posteriori non item.

XXXIV. Cæterum potentia DEi prout diversimode consideratur, distingvitur in absolutam & ordinatam. Vtraque hæc ab aliis aliter definiri solet. Nos breviter cum Scoto asserimus absolutam esse eam, qua DEus nude & absolute aliquid dicitur posse: ordinatam verò quæ tantum quod ordinationi & libero eius decreto non adversatur. Distinctio hæc etiam locum habere potest in omnibus intellectu & voluntate præditis.

XXXV. Absoluta itaque Potentia est, qua DEus ex lapidibus homines producere, corpus in pluribus locis simul statuere, quæ & cætera omnia, quæ rationem, ut loquuntur, factibilitatis habent, hoc est, impotentiam & contradictionem excludunt, potest efficere. Ordinata potentia cum spectet suppositiones fundatas super liberæ voluntatis decretis non super essentia proprie & attributis DEi, proinde multa DEus dicitur non posse potentia ordinata, quæ aliàs absolutâ omnino potest. Sic pænitentes atque in Christum credentes damnare non potest, quia contrarium promisit, quod tamen aliàs absolutè poterat, prorsus ut homo
pro-

propter pacta conventa ea non posse facere dicitur, quæ aliàs absolute poterat.

XXXVI. Hinc ad creaturarum potentiam, quæ activæ & passivæ communis est, aliquanto plenius considerādam pergimus, de activis priore loco acturi. Dividitur autem potentia creata in naturalem & obedientialem. Naturalem activam vocamus qua res sine speciali ac supernaturali DEi concursu aliquid agit per principium vel naturale vel intra naturæ limites consistens. Est itaq; hæc vel subjecto plane congenita, ut v.g. igni potentia comburendi, vel superaddita ei & acquisita, sed viribus naturalibus tamē proportionata, cujusmodi sunt habitus aquisiti v. g. artes, scientiæ, &c.

XXXVII. Potentia obedientialis activa est qua creatura supra præterq; naturæ ordinem per concursum DEi specialem aliquid agere potest, ut cum hominis vox resuscitat mortuos, aliave patrat miracula. Referendi huc etiam sunt actus gratiæ, credendi scilicet, diligendi, sperandi, ceterique omnes quos homo edere nequit nisi speciali DEi gratia præveniatur adjuveturque.

XXXVIII. Alia porro est potentiæ creatæ divisio in naturalem & rationalem sive liberam. Naturalis est, prout ea vox jam accipitur, quæ positis omnibus & iisdem ad agendum requisitis necessario & unum quidem agit, neque suspendere actionem, neque contrarios actus producere potest. Atque hinc adeo naturales

turales potentiaē dicuntur ad unum tantum determina-
tā seu alteram solummodo partem contradictionis re-
spicere. Requisita autem illa sunt virtus agentis plena,
passum capax & sufficienter approximatum, & ne sint
alia impedimenta. Sic ignis appositas stipulas aridas
necessario urit, nec urere pariter & non urere potest.
Idem quoque ita calefacit ut per se nequeat frige-
facere.

XXXIX. Potentia rationalis sive libera est, quæ re-
spicit opposita atq; omnibus ad agendum requisitis po-
sitis, potest agere & non agere, imo effectus contrarios
producere. Sic potest homo currere & non currere,
potest ascendere & descendere, amare & odisse.

XL. Cæterum potentiam liberam propterea
rationalem vocamus quoniam libertas in omnibus &
solis iis quæ ratione prædita sunt reperitur. Qua-
propter inter animalia solus homo subiectum est liberi
arbitrij. Aliàs quoque præter eum substantiæ spiritua-
les & cælestes libertatem habent.

XLI. Circa hæc illud quæri solet quænam facul-
tas formaliter & per se libera sit, intellectus ne an vo-
luntas? vel utrum libertas in utraque illa sit facultate.

XLII. Postremum horum licet nonnulli etiam ex
recentioribus autoribus assertum eant; nos tamen
communi utpote veriori sententiæ calculum nostrum
addimus, qua statuitur, solam voluntatem formaliter &
per essentiam esse liberam,

C

XLIII.

XLIII. Enimvero quamvis negari nequeat, radicem vel fundamentum libertatis vocari intellectum, propterea quod nulla possit esse libera petitio absque rerum appetendarum cognitione & comparatione inter se, quam certè intellectui debemus acceptam; interim tamen libertas non in ipsa intellectione rei præcise, sed in appetitu rationali consistat necesse est.

XLIV. Et sanè assertio nostra probatu facilis est. Sive enim libertatem contradictionis vel quæ in exercitio ipsius actus est, qua quis potest agere & non agere; sive contrarietatis, quæ scil. specificationem actus concernit, & per quam quis contraria agere potest, spectemus; neutram harum intellectui formaliter atque in se competere constat.

XLV. Et primò quidem libertas quoad exercitium actus intellectui non potest competere, tum quod intellectus facultas appetitiva non sit, adeoq; nec ullum velle ex se eliciat: tum quod voluntatis hoc sit, ut quis rem consideret, vel cognitionem ejus aspernetur.

XLVI. Sed nec liber est intellectus quoad specificationem actuum, sive ut rei quam considerat & cognoscit, vel assentiatur vel ab eadem dissentiat. Quod si enim res illa evidenter vera sit aut talis esse appareat, tunc non liberè sed naturaliter & necessariò eidem assentitur. Quod si verò evidenter sit falsa, aut talis videatur, etiam necessariò dissentit. Obscura porro si res sit, & utrinque dubia, tunc neutrum actum elicit intellectu.

intellectus; sed assensum & dissensum suspendit. Quod si denique res in utramque partem sit probabilis, tum iterum suspendit utrumque actum, nisi forte eum voluntas ad alterum moveat impellatque.

XLVII. Patet itaque solam voluntatem esse formaliter & per essentiam liberam. Dicimus formaliter & per essentiam. Nam aliàs quoque liberum & voluntarium aliquid dicitur per participationem, eo quod voluntatis imperio subsit. Hac ratione appetitus sensitivus vocatur liber quando cum voluntate est conjunctus. Similiter & actus, licet è voluntate elicitum non sint, sed ab ea tantum imperati, liberi quoque appellari solent. Ita contemplari aliquid, actus quidem intellectus est: ex eo enim elicitur; sed liber tamen idem est & voluntarius eo quod pro nutu voluntatis instituat.

XLVIII. Porro voluntas ita est libera atque indifferens ut eodem instanti & puncto temporis, quo actum elicit, possit eum etiã non elicere, sive ut eo ipso momento quo aliquid vult, idẽ possit non velle & nolle; non quidem quasi simul velle & non velle, seu velle & nolle aliquid possit sensu, ut Logici appellant, composito, sed quod omnino sensu diviso id possit.

XLIX. Neque tamen hæc obstant quo minus voluntas quosdam actus producat naturaliter & necessario, cum primis quoad actuum specificationem. Sic naturaliter & non libere fertur in bonum universale,

C 2

& con-

& contra malum universale necessario averfatur. Eadem est ratio de particulari bono & malo in se spectato.

L. Ab activis ad passivas potentias progredimur. Est verò potentia passiva triplex, naturalis, contra naturam, & obediencialis. Naturalis vocatur, qua quid aptum natum est recipere aut pati quicquam naturaliter, sive illud per naturam ipsam sive per artem introducatur. Sic formam recipit materia, atque ex ære conficitur statua. Potentia contra naturam est, qua res contra naturalem inclinationem, adeoque non naturaliter, sed per violentiam aliquid patitur. Ita lapis à manu impulsus fertur sursum, qui aliàs naturaliter tendit deorsum.

LI. Non possumus quin hoc in loco etiam verbo mentionem faciamus, potentia illius quam Scotus ut peculiare quoddam genus statuit & Neutram appellat. Et ita quidem illam vocat, quod per eam res aliquid neque secundum naturalem inclinationem neque contra eam recipiat vel patiatur. Talis itaq; de sententia Scoti est, qua res ita indifferenter se habet ad actum aliquem ut naturaliter nec ad eum recipiendum nec respuendum inclinet. Hujusmodi potentia est in aëre ad lumen recipiendum, in superficie item ad recipiendum colorem.

LII. Verum enim verò haud inconvenienter potentia illa neutra ad naturalem referri posse videtur,
modo

modo vox naturalis aliquanto latius & ita quidem extendatur, ut omne id naturale dicatur, ad quod res vel naturalem inclinationem habet, quod alias propriè naturale est, vel quod saltem per causam naturalem iuxtaque communem naturæ ordinem in rem introduci potest.

LIII. Potentia obedientialis passiva est, qua res aliquid patitur quod aliàs neque per naturam neque per artem recipere aut pati poterat. Sic ex lapide vel gleba fit homo.

LIV. Propositis jam præcipuis potentia divisionibus consequens est ut verbo aliquid de actu dicamus. Vbi statim in principio illud notandum est, Actus vocem interdum absolutè & minus propriè capi, ita ut substantia quædam simplex & completa, qualis DEUS est & Angeli, per eam denotetur.

LV. Magis propriè usurpatur vox actus, quando respectivè sumitur, pro eo videlicet, quod respectum ad potentiam importat, & per quod aliquid in potentia esse definit. Sic v. g. somno excitatus actu videre dicitur, cum antea potentia tantum videret.

LVI. Cæterum actus alius est purus alius potentia mixtus. Purus actus ab omni passiva potentia utpote quæ imperfectionem importat, immunis est. Talis est solus DEUS T. O. Maximus; cæteri autem actus omnes cum passionem non omnem excludant, non puris accensentur.

LVII. Actus porro alius est formalis, ipsa nimirum forma subiectum informans, ut v.g. anima, color; alius entitativus per quem res extra nihil est sive existit.

LVIII. Actus quoque alius primus, alius secundus vocatur. Primus dicitur ipsa rei forma & principium operationis, sicut in homine est ratio, scientia. Actus secundus est ipsa formæ operatio, sicuti in homine ratiocinatio, in sciente contemplatio.

LIX. Postremo actus in signatum & exercitum dispescitur. Per actum signatum denotatur natura & formalis rei ratio, quæque ad eam spectant. Per actum autem exercitum eadem illa sed non in se, verum prout quibusdam inest, denotatur.



COROLLARIA

I.

Potentia, quâ Deus ad intra operatur, nimirum generandi & spirandi, lumine naturali non cognoscitur.

II.

Vox obœdiendi à Metaphysicis etiam de eo usurpatur, quod per vim altiore[m] ea agit aut patitur,
quæ

qua alioquin per se & viribus natura sua agere aut
pati plane non poterat.

III

Potentia Logica rectius in sola non repugnantia
terminorum, quam eorundem necessaria conveni-
entia collocatur.

IV.

Impossibile ex hypothesi non est simpliciter im-
possibile.

V.

Ὁοκ ἐντελέχεια minus commode redditur con-
tinuata & perennis motio.

VI.

Ὁοες ἐντελέχεια & ἐνέργεια saepe unum idem-
que significant.

VII.

Non omnium rerum dantur definitiones.

IX.

Impotentia potest esse potentia.

IX. Sa-

IX.

Sape ambulat is qui non potest ambulare.

X.


*Objectum suum adequatum potentia excedere
nequit.*

XI.


Cuilibet potentia passiva activa respondet.

F I N I S.















01 A 6593

ULB Halle 3
003 093 662



f


Sb

U 77

12









DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
P O T E N T I A
ET ACTU,
Q V A M
D. O. M. A.

P R A E S I D E

Viro Clarissimo & Excellentissimo,
DN. IOANNE HORNEIO,
Græcarum literarum Prof. Ordinario, Dn.
Hospite & Præceptore suo perpetua ob-
servantia prosequendo,

I N I V L E O M A I O R I

Ad diem Iunij

Publice ventilandam proponit

IOANNES CARSTENS, LVNEBURGENSIS
Autor & Respondens

∞(∞)

HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad Typ.

Anno MDCC LX.

